

Præcipuus effectus. — 4. 5. Conceditur beneficium reservationis domini etiam mutanti ad rem emendam. — 6. Licet expressa Domini reservatio non sit ei necessaria. — 7. 9. Quid si concurrat cum ipsa domino rei vendite, qui sibi Dominium non reservaverit. — 10. 12. Non ita sentiendum est de mutante ad rem in genere emendam, vel restituendam, vel conservandam. — 13. 14. Quid ulterius requiratur

## ARTICULUS I.

*Domini quoad ejus esse, divisionem et species.*

(1. Dominium generalissime sumptum est facultas disponendi de re tanquam sibi subjecta. Est in re communis. (2. Dominium sic generalissime sumptum dividitur in *Dominium*, quale competit Deo per essentiam in omnes creaturas; et *Dominium humanum*, quod convenit homini per participationem, seu potestatem sibi a Deo collatam in alias Creaturas, juxta illud Genesis 1: *Crescite et multiplicamini, et replete terram et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cæli; et universis animantibus, quæ moventur super terram.* (3. Dominium divinum dicitur dominium universalissimum, seu excellentiæ, quia competit soli Deo ratione creationis in omnes creaturas. (4. Dominium humanum aliquando dicitur *Altum*, seu politicum, et est illud, quod habent Reges in bona subditorum, urgente necessitate; et aliquando dicitur *Bassum*, seu speciale, et est illud, quod competit particularibus respectu rerum suarum. (5. *Dominium humanum* est duplex: dominium scilicet Jurisdictionis, et dominium proprietatis. (6. Dominium jurisdictionis est potestas gubernandi sibi subditos, præcipiendo, vel prohibendo, præmiando, vel puniendo. (7. Et hoc dominium jurisdictionis subdividitur in *seculare*, quale est in Imperatoribus, Regibus, Ducibus, etc., respectu populorum sibi subditorum in negotiis sæcularibus; et in *Ecclesiasticum*, quale est in Summo Pontifice, Cardinalibus, Episcopis, aliisque Prælatibus Ecclesiasticis, qui habent subditos in spiritalibus. (8. *Dominium proprietatis* est facultas disponendi de re sua pro libitu in suum commodum; et dicitur notanter in *suum commodum*, ut contradistingatur a dominio jurisdictionis, quod habent Principes sæculares, et Prælati Ecclesiastici in suos subditos in ordine ad gubernationem, et correctionem, cum hoc non faciant in suam, sed suorum utilitatem. (9. Dominium proprietatis est duplex; perfectum et imperfectum; *dominium proprietatis perfectum*, quod et plenum dicitur, est facultas libere, et licite disponendi de re etiam in proprium commodum; et quoad omnes usus a lege non prohibitos; adeoque hoc dominium perfectum seu plenum, importat liberam dispositionem tam rei, quam fructuum, seu emolumentorum ejusdem. (10. *Dominium proprietatis imperfectum* est illud quod, vel habet solam proprietatem rei sine fructibus et dicitur *Dominium directum*; vel habet solos fructus sine proprietate, et dicitur

in mutuante in concursu cum habente hypothecam generalem. — 15. 17. Alii effectus Domini reservationis. — 18. An reservatio Domini, quæ jus pignoris et hypothecæ producit, cadere valeat super mobilibus et se moventibus. — 19. Secus dicendum ubi reservatum fuerit Dominium super animalibus. — 20. 22. An Princeps gaudeat prælatione super omnes Domini reservatarios.

tur *Dominium utile*. (11. Hoc dominium utile habet Feudatarius, Emphyteuta, Usufructuarius, etc., respectu illius rei, quam ab alio accepit in Feudum, Emphyteusim, vel cujus habet usumfructum; Dominium vero directum habet Princeps in feudis, Dominus in Prædjo ad Emphyteusim dato, et omnis ille, qui dicitur Dominus cujuspiam rei, cujus usufructus alteri est concessus.

(12. Usufructus est jus utendi, ac fruendi re aliena, salva ejus substantia; l. 1, ff. de usufructu, et Instit. eod. tit. Dicitur *Jus*, quod est quid commune ad dominium, usum nudum, et usumfructum. Dicitur *Utendi*, ut contradistingatur a certis juribus, nempe Depositarii respectu depositi; Creditoris respectu pignoris, isti enim nequeunt uti deposito, aut pignore sine licentia Domini. Dicitur *Ac fruendi*, ut distingatur a mero usu; Differt enim Usuarius simplex ab usufructuario, quod *Usuarius* habet tantum jus utendi re aliena, non autem percipiendi, et alienandi fructus, et colligitur ex l. 1 et 2, ff. de usu, et habit. et Inst. eod. in princ. Usufr. autem habet jus utendi re aliena, et percipiendi, ac alienandi ejus fructus; l. *Usufructu* leg. 27, ff. de usufructu. Hinc qui habet jus utendi equa, ea uti potest ad arandum, at non potest de ejus pullis disponere: qui vero habet ejus usumfructum, potest utrumque; Unde usufructuarius potest disponere de fructibus rei tam pro se, quam pro aliis, vendendo, donando, concedendo, locando etiam invito proprietario. Non sic autem usuarius, uti constat ex tit. Instit. de usu et habitatione. Vide verb. Usufructus num. 4. Dicitur *Re aliena*, quia per id distinguitur a Dominio, ratione cujus utitur quis re tanquam sua, hic autem sermo est de usufructu nudo, seu separato a proprietate rei qui proprie formalis usufructus appellatur. (13. Dicitur *salva ejus substantia*, ad denotandum quod usufructus proprie nequit constitui in rebus unico usu consumptibilibus, ut sunt vinum, panis, oleum, etc., cum sit impossibilis eorum usus salva manente rei substantia, ex quo talis usus in consumptione consistat. (14. Quasi usumfructum tamen etiam in his constitui posse, statutum est in l. 1 et 2, ff. de usufructu rerum que usu consumuntur; et § *Constituitur*, Instit. de usufructu; ea conditione, ut si v. g. maritus uxori testamento legaverit usumfructum omnium suorum honorum, vel rerum usu consumptibilium, istæ tradi debeant æstimatæ uxori, postulata cautione, quod tempore usufructus finito, scilicet post mortem uxoris, earumdem æstimatio hæredibus mariti restituenda sit, textu expresso in cap. *Cum constet* 8, de pignoribus, ibi: « Cum constet, etc., mulierem uxorem

Ogerii quoad usumfructum filio suo successisse in bonis, quorum proprietas ad M. mulierem uxorem C. dignoscitur pertinere, Mandamus quatenus eam ad cautionem idoneam exhibendam, quod utatur, et fruatur salva rerum substantia in rebus immobilibus, quæ usu non consumuntur, ad arbitrium boni viri; Pecuniam vero, si quam habuit, vel habebit, ad æstimationem bonorum quæ consumuntur usu, et in hæreditate inventa fuerit, in morte sua dictæ mulieri, vel hæredibus ejus restituat per censuram Ecclesiasticam compellatis. » Et sic Glossa communiter recepta, ibid., verb. *Pecuniam*. Vide d. verb. *Usufructus*, num. 16.

(15. Usus generaliter loquendo est duplex, scilicet usus *Facti*, et usus *Juris*. Usus *facti* est ipsa actualis rei usurpatio, sive jure, sive injuria facta, adeoque usus facti habere dicitur omnis, qui re aliqua actualiter utitur, sive sibi assistente jure, sive sibi jure resistente. (16. Usus *Juris* est ipsum Jus sive legitima facultas utendi aliqua re; adeoque usus juris habere dicitur omnis, qui et utitur, et potest ad libitum licite uti aliqua re. (17. Alius quoque dari potest usus, quasi Juris permissivi, vel potius facti, simplex, ac licitus, et omnino dependens a libera voluntate domini proprietarii, quo scilicet conceditur alicui facultas utendi re etiam usu consumptibili, sed omnino dependenter a libera concedentis voluntate, ita ut pro ejus libitu revocari possit.

(18. Et sic usus simplex *Facti*, atque dependens omnino potest separari, et de facto separatur a dominio rei etiam unico usu consumptibilis, ut jam docet communissima etiam extra Scholam Scotisticam apud Lugo de just. et jur. disp. 2, sect. 3, n. 43, ubi pro hac opinione citat plusquam viginti classicos Auctores, et dicit sic tenere cæteros Recentiores communiter; Et hanc partem tradiderunt plures Summi Pontifices, Nicolaus III, cap. *exiit, qui seminat*, § *Nec quidquam*, vers. *profecto si juxta promissum*, de verbor. Signific. in 6. Clemens V. Clementin. 1, § *Perinde cum vir Sanctus* eod. tit. Alexander IV. Constit. incip. *Uberes fructus*, Mart. V, Eugen. IV, Nicolaus V, Paulus IV, Sixtus IV, qui expresse sententiam nostram docuerunt, indeque affirmarunt, Fratres Minores habere tantum usum facti simplicem rerum etiam unico usu consumptibilium, earum dominio vel penes donantes, vel si ipsi donantes dominium abdicaverint, penes Sedem Apostolicam existente. Et hæc sententia clare ostenditur a priori, quia, ut recte dicit Lugo loc. cit. num. 44. non repugnat aliquem accipere facultatem a domino utendi re aliqua usu consumptibili, et tamen accipere hanc facultatem revocabilem, et dependentem semper a voluntate ejusdem Domini; tunc autem ille, qui habet talem facultatem, non potest dici Dominus illius rei, cum dependeat semper a voluntate alterius potentis

(1) Ex citata lege 1. minime apparet, quod possessio a pedum positione dicta sit, sed expresse ha-

pro suo libitu prohibere illum quoties voluerit; habet ergo usum rei licitum sine Dominio; Et hoc patet clarissimo exemplo Nicolai III, quia invitatus ad prandium utitur quidem licite cibis apposis, et tamen in illos nullum habet dominium, cum secundum communem apprehensionem semper maneat usque ad eorum consumptionem penes invitatum, qui ideo potest apposita auferre, vel relinquere sine illius injuria; adeoque talis invitatus habet solum usum talium appositorum ciborum absque dominio, sicuti solum usum facti absque dominio habent Fratres Minores circa res illas, quibus uti possunt.

(19. Nec valet objicere, quod si Nicolaus III, in d. Constitut. *Exiit qui seminat*, admisit posse Fratres Minores in rebus unico usu consumptibilibus habere simplicem usum facti absque dominio, hoc tamen postea negavit Joann. XXII, in Extravagant. incipit. *Ad Conditorem* 3, de verb. significat. et in Extravagant. incip. *Quia quorundam* 5, eod. tit. Non valet, inquam, quia Joann. XXII, in dictis decretalibus. *Ad conditorem*, et *Quia quorundam*, non fuit contrarius quoad rem germano, et vero sensui Nicolai III, in cit. Decret. *Exiit*, sed præcise quoad modum loquendi, seu quoad vocum apparentiam, et in verbis, ut notat Glossa in Clementin. *Exiit de Paradiso*, § *Proinde* circa finem, ubi dicitur, quod in hoc negotio, quod *turbavit totum mundum, non est vis nisi in verbo*. Et revera si adamussum ad libram attendantur dictæ Decretales, Nicolaus, et Joannes quoad rem non sibi contradicunt, quia Nicolaus accepit dominium in sensu proprio, et stricto, Joannes vero in sensu improprio, et lato, ut abunde ostendit Matthæucci in suo opere dogmatico controvers. 6, cap. 2, n. 43, 46, et seq. Et in diverso sensu accepit Joannes simplicem usum facti, ac acceperit Nicolaus, et cum Nicolao accipimus nos, ut late ostendit Henno tom. 2, de jur. et just. disp. 3, conclus. 3. (20. Et quod nulla quoad rem sit contrarietas inter dictas Decretales docet S. Joannes de Capistrano in tractatu de Christi et Apostolorum Sanctissima paupertate artic. 6. Henno, et Matthæucci *locis citatis*, Eminentissimus Petra tom. 4, comment. ad Constit. 3. Joann. XXII, n. 40, et alii passim, tum ex nostris, tum ex exteris; non enim tot Summi Pontifices Successores Joannis, qui sententiam Nicolai, et nostram in terminis docuerunt, et declararunt, permisissent præfatas Constitutiones Joannis in corpus Canonicum inseri, si credidissent ipsum fuisse eis vere et quoad rem contrarium.

(21. Possessio sic dicitur a pedibus, et sonat idem quasi *pedum positio*, prout notatur l. 1, ff. de acquirenda, vel amittenda. *possess.* nam per pedum positionem super bona immobilia verb. grat. super agrum, vel domum, solet acquiri possessio (1). (22. Possessio ut sic, dividitur in posses-

betur ibid. in princ. *Possessio appellata, ut ait Labeo, a sedibus quasi positio quia naturaliter tenetur*



sionem *Juris tantum*, *Facti tantum*; et *Juris*, et *Facti* simul. (23. *Possessio Juris tantum* (quæ alio nomine appellatur *Possessio civilis tantum*) est ipsamet jus possidendi rem animo, sed non corpore retentam; Sic Dominus absens de jure, et civiliter possidet res suas, a quibus licet absit corpore, adhuc tamen animo eas possidet, seu occupat eo quod non discesserit inde animo relinquendæ possessionis, sed postea reversurus. (24. *Possessio Facti tantum* (quæ alio nomine appellatur *Possessio naturalis tantum*) est solus actus possidendi rem sine jure; Sic possessor rei alienæ dicitur ipsam possidere facto tantum, quia nullum jus habet illam possidendi. (25. *Possessio juris, et facti simul* (quæ alio nomine appellatur *possessio civilis, et naturalis*) est jus, et actus simul possidendi rem ut suam; Sic quilibet verus Dominus rem suam per corporalem insistentiam possidens dicitur ipsam possidere possessione juris, et facti simul.

(26. *Possessio definitur*, quod sit rei corporalis detentio, corporis, et animi, et juris adminiculo. Sic Glossa communiter recepta; l. 1. ff. *de acquir. vel amittend. possess.* Dicitur detentio rei corporalis, quia rerum incorporearum, sive Jurium non est propria possessio, sed quasi possessio; l. 3. ff. eod. tit. l. *Servum § in corporales*, ff. *de acquir. rerum dominio*, et l. *Sequitur*, § 27. ff. *de usucapionibus*, et concordat c. *Cum Ecclesia* 3, de Caus. poss. et proprietat. et Glossa ibid. verb. *Quasi possessionem*. Dicitur *corporis* quia non incipit possessio, nisi interveniat actus externus, quo vel manu, vel pede, vel aliter res possidenda in se, vel in alio apprehendatur. Dicitur *animi*, quia nisi rem apprehensam detineat tamquam suam, sicque animo possidendi, non sit illius possessor, ut patet in depositario, qui quia rem apud se depositam non detinet animo possidendi, ac retinendi sibi, sed deponendi, non dicitur illam possidere. Dicitur *Et juris adminiculo*, quia necesse est ad legitimam possessionem, ut non sit contra jus; cum data definitio conveniat possessioni, juris, et facti simul; hinc fur non legitime possidet rem furatam, quia quamvis habeat possessionem facti, seu naturalem, non habet tamen possessionem juris, cum detineat illam sine juris adminiculo, seu contra jus, et fas

(27. *Possessio tripliciter acquiri potest*, scilicet apprehensione vera, ficta, et civilissima. Apprehensione vera acquiritur, dum fit mediante corporis adminiculo, ut domum intrando, agrum colendo, rem manu tangendo. Apprehensione ficta acquiritur, dum fit per actum lege, aut consuetudine introductum, licet de se non sit corporaliter apprehensivus, ut per traditionem clavium, scripturæ, aut instrumenti, per signationem

ab eo, qui ei insistit, et ita interpretatur Vicat. vocab. jur. verb. *Possessio* in princ. sed rectius hujus vocis Etymologiam a facultate sedendi desumit Duaren. comment. in tit. Pandect. *de acquir. vel amit. possess.* tom. 2. cap. 2. ad leg. 1. pag. 558. coll. 1. quem

rei possidendæ, etc. Apprehensione civilissima acquiritur, quando per leges transfertur possessio sine ullo actu vero, aut ficto, etiam ignorante novo possessore. Sic in Gallia transit ad hæredem possessio hæreditatis; Sic in Hispania possessio Majoratus. (28. Unde quoad has apprehensiones possessionis, si servanda est consuetudo cujusque provincie, aut loci, possessio deperditur multipliciter. Si sit possessio immobilium deperditur: Primo, per longam absentiam Domini: nec per se nec per alium rei suæ insistentis; absentiam autem illam aliqui volunt debere esse decennem, alii longiorem, alii prudentum judicio relinquendam. Secundo, per oblivionem quod res sit sua, quia tunc deest animus possidendi; Tertio, per negligentiam, aut timiditatem repetendi ab injusto invasore. Si autem sit possessio mobilium, deperditur: Primo, per voluntatem Domini rem suam amplius possidere nolentis, modo non sit pupillus, aut furiosus; quia tunc requiritur etiam consensus tutoris aut curatoris; Secundo, per alterius furtum, aut rapinam, si res ablata aliquando detineatur; Tertio, per amissionem; Quarto, per fugam animalis evadentis, si non habeat consuetudinem redeundi; non perditur tamen possessio servi per fugam; l. *Pomponius* 13, ff. *de acquirenda, aut amittenda possessione*. (29. Per rei amissionem universaliter loquendo non perditur ejus dominium, quia res amissa, aut furto ablata, saltem per aliquod tempus desinit possideri, et tamen dominium non amittitur, et sic de pluribus aliis; Hactenus Henno tom. 2, disp. 2, conclus. 3 et 4.

(30. *Possessionis commoda, et privilegia sunt potissimum sequentia*. Primo, quod si adsit controversia inter quosdam de rei proprietate, seu Dominio, et adhibita diligenti inquisitione maneat adhuc dubium, cujusnam res illa sit, tunc prævalet conditio possidentis; c. *In pari* 63, de Regul. Juris in 6, ibi: « In pari delicto, vel causa, potior est conditio possidentis » (31. Secundo, quod non sit possessoris probare in judicio rem esse suam, sed alterius non esse; qui alter si non satis probaverit rem non esse possessoris, possessor remanebit in possessione, etiamsi revera res ejus non sit; textu expresso in § *Retinendæ* Institut. *de Interdictis*, ibi: « Quia et civilis et naturalis ratio facit, ut alius possideat, et alius a possidente petat; Et quia longe commodius est, et potius possidere, quam petere, ideo ferme ingens existit contentio de ipsa possessione; Commodum autem possidendi in eo est, quod etiamsi ejus res non sit, qui possidet: si tamen Actor non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco possessio; propter quam causam cum obscura sint jura utriusque, contra petentem judicari solet,

sequitur, et erudite demonstrat ita tenendum esse Heinec. in Pandect. part. 6. tit. 2. § 197. Multa de possessione corrigenda, et addenda superessent, sed satius erit illa loco magis congruo infra verb. *Possessio* annotare. (EDIT. BARBIEL.)

et concordat c. *Examinator* 15, de *judiciis*. » (32. Tertio quod possessor bonæ fidei post legitimi temporis decursum plenum rei dominium acquirat, ita ut non amplius teneatur eam Domino postea ipsam repetenti restituere, l. 3, *de usucap.* et docet communis cum Abbate in c. *Vigilanti* in 6, de *Præscript.* Glossa ib. verb. *Noverit*; Glossa in c. ult. eod. tit. et Abb. ib. n. 37. (33. Quarto, quod possessio bonæ fidei tribuit possessori jus administrationis. Si quis enim sit in possessione, vel quasi possessione eligendi, præstandi, vel instituendi Clericos in Beneficio, aut hujusmodi, valida est electio, præsentatio, etc., ab ipso facta, quamvis postea appareat tale jus non ad ipsum, sed ad alium pertinuisse; cap. *Querelam* 24, de *Elect.* et Glossa ibid. verb. *Super jure*, et cap. *Consultationibus* 19, de *Jure patronat.* (34. Quinto, quod possessio bonæ fidei tribuit jus possessori ut lucretur fructus ex re taliter possessa perceptos; nec ipsos jam consumptos tenetur restituere Domino postea comparenti, nisi quatenus locupletior factus sit; l. Item veniat § *Præter hæc*, juncta Glossa verb. *Facti*, ff. *de petit. hæredit.* l. *bonæ fidei* § 1, ff. *de acquirend. rerum domin.* et § *Si quis a non domino* Institut. *de rerum divis.* (35. Sexto, quod possessor ab altero invasus, possit vim vi repellere, et rem suam defendere, aut si jam expulsus, possessionem suam repetere, etiam armis necessariæ defensionis causa adhibitis; l. 1. Cod. *Unde vi*; l. 1 et 3, ff. *de vi, et vi armata*; cap. *Olim*, caus. 12, de *restitut. spoliator.* (1). (36. Septimo, quod si quis tempore motæ litis reperiat in possessione, et nec vi, nec clam, nec precarie possideat, a Judice defendi, et in sua possessione manuteneri debeat; l. 1, ff. *Uti possidentis*, et l. 1, C. *de servitut.* (37. Octavo, quod si possessor privata alicujus violentia de possessione suarum rerum fuerit expulsus, aut clam ea spoliatus, ante omnia debeat fieri restituito spoliati, non obstante, quod spoliator alleget titulum, et velit probare rem illam esse suam; Generaliter enim debet ante omnia fieri restituito spoliati; c. *In literis* 5, et seq. *de restitut. spoliati.*

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(38. *Dominium rectius definitur jus in re corporali, quo hæc ita nobis propria est, seu ad nos spectat, ut alios possimus excludere ab usu ejus rei, deque illa disponere, quatenus Lege, pacto, vel Testamento jus disponendi non reperiat restrictum.*

(39. *Quomodo autem in primævo hominum statu res terræ in dominium singulorum*

(1) Non ita generatim asserendum est possessorem invasum vi atque armis rem invasam tueri, atque ablatam ab invasore recuperare posse, ut id semper, et in quolibet casu liceat. Etsi enim in statu naturali, in quo judicium, atque supremæ potestatis auctoritas deficit, possit quisque rem suam ab iniquo invasore vi atque armis tueri, et ablatam eadem ratione repetere, tamen in statu societatis civilis fieri id non potest, nisi in ea circumstantia, in qua judicium desit, atque solum bellum supersit pro re tuenda atque repetenda; tunc enim homo in statu naturæ

pervenerint, non est una omnium sententia. (40. Alii particularis domini regimen immediate a Deo derivant; Valentin. Albert. Compend. jur. natur. par. 2, cap. 4, § 14 et 29. Joannes Henricus Boeclerus ad Hugon. Grot. lib. 2, cap. 2. (41. Alii illud a facto humano repetunt, sed mire inter se variant. (42. Sunt enim, qui autumant res omnes fuisse ab initio communes, et homines demum pacto tum expresso, tum tacito ab illa communione recessisse, resque proprias sibi fecisse; Grotius de Jur. Belli et Pacis l. 2, c. 2, § 2, n. 5. Puffendorffius de Jur. nat. et gent. l. 5, c. 4, § 4. Plerique vero, et quidem simplicius, et indoli humani generis, prout tum ejus status fuit, convenientius sentiunt, res ab initio non communes, sed nullius, idest in nullorum hominum bonis, et proprietate fuisse, et per occupationem demum in dominium singulorum pervenisse. (43. Vide si lubet, Lockium in Tractatu de regimine civili cap. 4. Barbeyrac ad Puffendorff. lib. 4, cap. 4, § 4, nota 4. Buddæum Theol. Moral. part. 2, cap. 4, sect. 5, § 15, tum et maxime Samuel Coccei Dissert. proem. 12, in Grotium lib. 4, c. 3, per tot. qui contrarias hypotheses una refutant.

#### ADDITIONES EX EDITIONE BARBIELIANANA.

(44. Hic multa de dominio consarcinat Auctor, quæ nihil ad dominium pertinent, vel minus proprie ab imperitis forensibus dominio tributa sunt, licet eidem minime conveniant. Primo novam sibi fingit dominii distinctionem *jurisdictionis* nempe, et *propriæ*. *Jurisdictionis* est quid omnino diversum a dominio. Definitur quippe a Cujacio Paratit. Digest. l. 2, tit. 1, et Paratit. C. lib. 3, tit. 13. *Notio jure Magistratus competens*. *Dominium vero est Jus in re corporali, ex quo libera facultas de re, ejusque fructibus disponendi, eamque vindicandi nascitur, nisi vel lex, vel conventio, vel testatoris voluntas obsistat* l. 21. C. *Mandat* l. ult. C. *de reb. alien. non alienan.* Minsyngerus ad pr. Institut. *de rer. divis.* At quandonam de jurisdictione quis potest pro lubitu disponere prout de dominio? *Dominium potest vendi, donari, de eo unusquisque arbitrio suo disponere, et ipsius acquisitio a facto nostro dependet. Jurisdictionis vero cum ab aliis nobis data sit, ab ipsis nobis potest auferri, quin a nobis vendi, aut locari possit, ut fuse demonstrat Heinec. exercit. 33, § 15 et seq.*

Sed fortasse pro jurisdictionis dominio, imperium intellexit, quod eminens, seu altum dominium a Grotio lib. 1, de Jur. bell. et pac. cap. 1, § 6, et lib. 3, cap. 20, § 7,

positus haberetur. Nam cum judicem adire liceat, qui civium bona tueatur, et qui eosdem ab injuriis defendat, et vindicet, non licet privato civi rem armis tueri, aut jam expulso, eadem vi, armisque repetere, sed adeundus est judex, qui auctoritate, et sententia sua rem defendat; ab illata injuria hominem vindicet, ac cuique suum tribuere faciat: alioquin homines in statu belli essent; et cuique liceret, contemptis magistratibus, et suprema Principis potestate, propria auctoritate jus suum persequi; quod quidem maximum absurdum est. (NOT. ROM. THEOL.)



omnium primo appellatur, sed merito reprehenditur a Samuel Coccejo in Comment. ad eumd. Grot. lib. 1, cap. 1, § 6, verum neque hoc sensu recte dicitur dominium Jurisdictionis, seu Imperii. Imperio enim utendi in nostra potestate non est, nisi quatenus id bonum publicum expostulet. Unusquisque potest proprium dominium dissipare, resque perdere. Princeps vero, licet alto dominio perfruatur super privatorum bonis, illa nequit distrahere, nisi in extrema Reipublicæ necessitate, ex qua sola limitata imperio utendi facultate manifesta ipsius cum dominio resultat repugnantia. Rot. cor. Tanar. decis. 57, n. 24. Cum itaque tantum inter altum dominium, et dominium privatorum intercedat discrimen, rectius appellari debet imperium illud quod gentes altum in Principes contulerunt ad universam tuendam Reipublicam. Ita Coccejus loc. cit. verb. *Majus est dominium.* « Immo non majus est, sed alterius generis: Nam quod Princeps dominio privatorum derogare possit, est consequens juris tuendi Reipublicam, ad cujus conservationem quilibet de suo tribuere tenetur. Repetendum hic est quod antea monuimus, tutius esse abstinere a voce domini, ubi de juri-bus Principum in subditos agitur, quia vox domini proprie non significat jus regendi, et conservandi, sed id quod directe contrarium est, nimirum potestatem consumendi, abutendi, et pro lubitu de re disponendi. » Rursus idem dissert. procem. ad eumd. Grot. 12, § 237. « Imperium est potestas proprio jure competens ad tuenda jura civitatis. Dominium est facultas domino competens de re sua pro lubitu disponendi. Ex jure Imperii igitur saltem facultas oritur tuendi, et conservandi personas, et res imperio subiectas. Ex dominio autem sequitur facultas etiam perdendi res, » et inferius § 629, n. 2 et 3. « Dominium, quod vocari solet eminentis, est vera pars summæ potestatis, quia Doctores voce illa nihil aliud intelligunt, quam effectum imperii, vi cujus Princeps jura subditis quæsitæ vel ob utilitatem publicam, vel in pœnam auferre potest. Negari tamen nequit vocem domini improprie admodum hic usurpari, quia ex sua natura facultatem abutendi infert, adeoque consultus est, voce illa abstinere, ac jus illud Principi asserere non vi domini eminentis, sed vi imperii legitimi, seu vi plenitudinis potestatis. Nulla autem ratione monstrum illud, vi cujus Principi permissum esse aiunt jura subditis quæsitæ pro lubitu tollere, ad objectum imperii referri potest: pugnat enim hæc opinio cum essentia summæ potestatis, quæ unice in tuendo jure consistit. » Ita etiam Wolfius, Jus Gentium § 329, in not.

Secundo, non recte dicitur dominium proprietatis. Ubi enim distinguimus dominium, inspicienda sunt dominiorum genera, non species, quæ sub eodem genere continentur. Porro « Dominium est genus, quod plures species seu formas quodammodo complectitur, adeoque dicitur dominium pro-

prietatis, dominium ususfructus, quod etiam proprietatis reddituum nuncupatur, dominium possessionis, dominium usus, dominium servitutis, dominium actionum. Cæterum dominium nihil aliud est, quam proprietas. » Guadagni Comment. in instit. jur. civ. lib. 1, tit. 1, derer. divis. § 55, ubi in notis multa ex allatis declarat et illustrat. Insuper dominium est attributum hominis qui dominus appellatur; proprietas vero attributum rei quæsitæ quæ propria dicitur. Guadagni l. c. Vin. Partit. jur. lib. 1, cap. 68, § circ. fin.

Rectius igitur in tria genera humanum dominium distinxisset. I. Dominium politicum, quod proprie potestas, et imperium appellatur. Galvan. dissert. de Usufruct. cap. 23, n. 1, de quo satis supra. II. Dominium OEconomicum, quod, vivente adhuc patre, habent filii, qui in potestate sunt, et dominium etiam jure familiæ dicitur a Galvan. loc. cit. sed dominium tantum in spe est, quod nullam actionem tribuit, late Guadagni l. c. in not. ad § 53, n. 8 et 9. III. Dominium singulorum de quo proprie hoc loco disputandum erat. Vide Guadagni ubi supr. § 53.

Hoc singulorum dominium dividitur in plenum et minus plenum, ut monet Auctor. Plenum quod adnexam habet proprietatem; minus plenum quod a proprietate separatum est. Dominium minus perfectum rursus dividitur in directum et utile. Hæc posterior divisio inventa fuit a Bart. in leg. *Si quis vi 17, § Differentia* num. 5, ff. *de acquir. vel amit. poss.* et a quamplurimis inde secuta; sed Cujac. Observat. lib. 1, cap. 35, de Feud. lib. 1, in princ. lib. 2, tit. 9, et ad leg. *In rem 24, ff. de rei vindicat.* et Donello Comment. de Jur. civ. cap. 14, in fin. non placet, eo quia generi, quod dividitur nullo modo conveniat. Ob commodiorem tamen docendi rationem, cum in foro recepta sit, tolerandam esse existimant Ger. Noodt. ad tit. ff. *de divis. rer. § Postrema rerum.* Hein. In Pandect. 2, § 79, in not.

Aliam, quam utiliore vocat Hein. in Pand. part. 2, tit. 1, § 81, domini divisionem tradunt doctores veri nemp, et ficti. Verum est quod a veritate facti dependet, nobisque competit in re corporali reapse acquisita. Fictum vero a Prætoris fictione proficiscitur, qui interdum aliquem usucepisse fingit, quamvis adhuc non usuceperit, ut si quis a non domino, quem tamen esse dominum putabat, rem aliquam ex justa causa acceperit, veluti emptione, donatione, etc., sed nondum ab ipso usucapta sit vel quod tempus ad id requisitum transactum non fuerit, vel ob aliam similem causam, Guadagni. Instit. jur. civ. lib. 2, tit. 1, § 58, in not.

Postrema, quæ a Doctoribus assignatur domini divisio, speciem potius domini dotis in naturale, et civile respicit, quam ipsius domini genus. Naturale dicitur quod in re immobili in dotem data censent Interpretes, constante matrimonio, uxoris esse, ut eadem ipsa soluto matrimonio restituatur:

Civile vero quod in eadem re immobili maritum habere existimant. Dubitatur tamen an dominium fundi inæstimati in dotem dati in maritum potius quam in uxorem transferatur. Communiter affirmant in maritum transferri, sed hac habita distinctione, ut si non fuerit æstimatus, vel tantum æstimatus ut de ipsius quantitate, et qualitate constaret, tunc transire quidem dominium, sed civile tantum, et revocabiliter in maritum, irrevocabiliter vero si talis æstimatio appareat, ut commode pro venditione haberi possit, et tunc non modo civile, sed et naturale in maritum transfertur. Ita sentiunt Brunem. in Pandect. lib. 23, tit. 3, l. 75. Voet. in Pandect. lib. 23, tit. 3, n. 19. Marcell. ad tit. Instit. *Quibus alienare licet* § 1. Harpprect. ad princ. ejus. tit. instit. num. 22. Pichard. ibid. n. 10, in fin. Fondanel. de Pact. nupt. claus. 6, glos. 1, part. 3, n. 18. Rot. cor. Seraphin. decis. 201, n. 28, post Merlin. de Pignor. dec. 39, n. 1, in recent. decis. 91, n. 1, part. 8, decis. 20, n. 4, part. 13, decis. 34, num. 29, part. 17. Alii vero sentiunt dotis etiam inæstimatæ verum et absolutum dominium esse maritum. Cujac. Observat. lib. 10, cap. 32, in comment. ad leg. *In rem 24, ff. de rei vindicat.* et in comment. ad tit. *C. de jur. dot.* Joh. Robert. Controv. lib. 3, cap. 9. Vin. ad princ. Institut. titul. *quib. alien. lic.* num. 2, et alii relati a Guadagni. Instit. jur. civ. lib. 2, tit. 1, in not. ad § 59.

## ARTICULUS II.

*Dominium quoad ejus subjectum et objectum.*

(1. De fide est Deum esse rerum omnium creatarum vere, et proprie Dominum, idque non solum per essentiam, sed etiam titulo creationis, et gubernationis. Et patet expresse ex pluribus Sacræ Scripturæ locis; Judith enim 9, dicitur *Dominus totius creaturæ.* Sapient. 12. *Omnium Dominus,* et alibi: *Dominus universorum.* Et Genes. 2, hujus domini redditur ratio cum dicitur: *In principio creavit Deus Cælum et Terram;* et Esther. 13, *Tu fecisti Cælum et Terram.* (2. Christus ut homo fuit Dominus absolutus, et directus universorum, quantum ad jus, et potestatem. Sic communior Doctorum sententia, et patet ex pluribus Sacræ Scripturæ locis. Psalm. enim 8, dicitur: *Omnia subjecti sub pedibus ejus.* Ad Hebræos 2. *Omnia ei subjecti, nihil dimisit non subjectum ei;* et ideo Apocalyps. 19, *Dominus dominantium;* et de facto Matthæi 21, intraturus Jerusalem præcepit Christus discipulis, ut adducerent asinam, et pullum, inquiens: *Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, Dominus his opus habet.* (3. Angeli habent Dominium proprie dictum solummodo suorum actu liberorum; rerum autem inferiorum, et corporearum non habent proprie dominium, sed solum potestatem gubernativam a Deo delegatam. Quia Angeli non possunt disponere de iis rebus tamquam suis, et in suum commodum, quod proprium est domini, sed solum de manda-

to Dei, ut Ministri Regii provincias, et Urbes, homines, eorumque res gubernant in ordine ad eum finem a Deo intentum; quod ipsum potest vocari dominium saltem jurisdictionis late sumptæ; hinc in Scriptura Domini, et Principes Regnorum appellantur, ut præsertim Daniel. 10, num. 13, ibi: *Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti, et uno diebus;* Et ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium meum; et ibid. num. 17. *Quomodo poterit servus Domini mei loqui cum Domino meo?* Et sic in re communiter Doctores.

(4. Inter has creaturas inferiores solus homo est domini capax, ita ut omnes res corporeæ inferiores, videlicet agri, montes, flumina, plantæ, metalla, bestię, etc., cadant sub dominium hominis: Sic communis, et patet clare ex illo Genes. cap. 1. *Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subijcite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus Cæli, et universis animantibus, quæ moventur super terram.* Hæc autem omnia sunt objectum domini humani, seu cadunt sub dominio hominis, ut etiam habetur ex Psalm. 8, ibi: *Omnia subjecti sub pedibus ejus* (inferiora scilicet), *oves et boves,* etc. (5. Unus homo licite acquirit, et habet dominium in alium hominem, quo ad ejus opera, et servitatem personalem. Est communis, et patet ex Genes. 20. Exod. 21 et 1, ad Timoth. 6, ibi: *Quicumque sunt sub jugo servi, Dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* (6. Dominium servitutis in alium hominem potest homo acquirere quatuor modis, seu titulis; scilicet titulo nativitatis, via emptionis, ratione delicti, et jure belli. (7. Primus modus, scilicet titulo nativitatis, habetur ex l. *Partum,* Cod. *de rei venditione,* ubi statuitur, quod partus sequatur ventrem, id est conditionem matris, adeo ut, non considerata conditione patris, ex serva nascatur servus, et ex libera liber. Hinc ad Galat. 4. Agar serva Abraham eidem in servitute generasse filios non liberos dicitur. (8. Secundus modus, scilicet via emptionis, patet clare, quia cum homo sit suorum operum, suæque libertatis Dominus, potest urgente fame, aut alia justa necessitate, se ipsum in perpetuum vendere, sicut potest famulus, aut ancilla ad tempus se alteri locare; Hinc S. Paulinus Nolanus Episcopus, ut filium viduæ a servitute liberaret, se ipsum servituti subiecit, et hoc ex Scriptura Sacra licitum supponitur; Exod. 21, Levit. 23, et Deuter. 15. (9. Tertius modus, scilicet ratione delicti, patet manifeste, quia sicut propter delicta potest aliquis vita, sic etiam libertate privari per modum justæ pœnæ, prout in cap. *Ita quorundam 6, de Judæis* ab Alexandro III, statuitur, ut Christiani deferentes arma ad Saracenos, aut in eorum navibus piraticis regimen, aut gubernationem exercentes, servi fiant capientium et hujusmodi pœna propter alia delicta statuitur in l. *Si manumissus, C. de libertis, et eorum liberis,* in § *Maxima* Institut. *de capitis diminutione;* et in cap. *De raptoribus 36,* quæst. 1. (10. Quartus mo-